



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 66. Henricus Bavarus Ludovicum Petruelem suum vulnerat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Henrico Patrueli suo, ut eum furem, per-
fidum, imo & Nothum appellaverit. Sæcul. XV.
A. C. 1417.

Henricus Imperatoris præsentiam reveritus, in flagranti injuriam ulcisci distulit, eodem tamen adhuc die quibusdam Nobilibus, suisque familiaribus stipatus equum conscendit, Ludovicum per plateas euntem aggressurus.

§. LXVI.

*Henricus Bavarus Ludovicum Patru-
lem suum vulnerat.*

Obvius ei venerat Ludovicus, comitan-
tibus eum ephebis suis, quem e con-
vivio Cæsaris domum redeuntem Henri-
cus stricto ense in platea aggreditur,
eumque pluribus plagis afficit. Ludovi-
cus tamen, quamvis fauciatus esset,
opportuna dexteritate Henrico arma
excussit, illumque gladio transfixisset,
nisi Nobiles eundem comitantes in tem-
pore opem tulissent, tanto furore in Lu-
dovicum irruentes, ut semianimis ex e-
quo decideret. Imperator comperto fa-
tali casu Henricum comprehendi jussit,
cum vero præcipiti fuga in Bavariam di-
lapsus esset, Imperio proscriptus fuit. Ele-
ctor Brandenburgicus ejus affinis, flexis
coram Imperatore genibus, pro Henrico
veniam postulavit, tantumque suis effe-
cit precibus, ut sententiæ dilationem ob-
tine-

Vindeck c. 71.

Sæcul. XV.
A.C. 1417

tineret, donec satis constaret, an Ludovicus ex vulneribus suis moreretur, vel sanus evaderet, qui quidem sanitatem recuperavit, sed semper inter Baviaræ Duces usque ad annum millesimum quadringentesimum trigesimum, quo Imperator illos sibi invicem reconciliaverat, ingens odium exarsit.

§. LXVII.

*Cardinales Decretum, de reformatione ante Pontificis electionem stabi-
lienda condere recusant.*

*Schelfl. añ.
Conc. p. 269.* Equidem Imperator Papam ante reformationem Ecclesiæ eligi posse confenserat, decretum tamen a Synodo condi petiit, quo novus Pontifex, quamprimum electus esset, reformationi manum admovere adstringeretur, monuitque Cardinales, ut datam sibi fidem exsolverent. Propositæ sunt variæ hujus Decreti formulæ, verum Cardinales post diuturnas tergiversationes aperte respondebant, Pontifici leges præscribi non posse, nec ejus voluntatem esse ligandam, quo facto sane fidem violabant in ultima Sessione datam, vi cujus condito desuper Decreto se adlaboraturos spondebant, ut Papa, antequam aliis invigilaret negotiis, reformationem Ecclesiæ aggrediretur.

§. LXVIII.